



1787, 4.

MEMORIAM ANNIVERSARIAM
PERILLVSTRIS
DOMINI
RVDOLPHI FERDINANDI
LIBERI BARONIS
DE SYLVERSTEIN ET PILNICKAV
HAEREDITARII IN KLEIN-EILA CRASCHEN DAVBER
BVCHWALDA ET BARG
DIE XVII. APRIL. A. O. R. MDCCCLXXXVII.
HORA IX.
IN AVDITORIO MEDICORVM
RECOLENDAM
INDICVNT
TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM
DECANI SENIORES ET RELIQVI ASSESSORES.



IMMORTALIA
PERPETUA
DOMINI
RUDOLPHI FREDERICI
PLATINIANI
DE SYLVASTRI ET HICRYA
HERBARIIS IN TERRA-ET-AQUA-CHEN DABER
SCHOLARUM
DIE EXILIA VELLA A O L MOCICUM
MOMAKI
IN AUDITORYM SEDIS
CENSUS
TITULI
HISTORIIS
LEGAMI STYLIS ET SCENIS



PARAENESIS AD STVDIOSOS;

STVDIA LITTERARVM CVM ASSIDVITATE

TRACTANDA ESSE.

Munificentia, PERILLVSTRIS DOMINI DE SYLVERSTEIN, qua studiorum honorum, quae vehementer amabat, promouere annis est indefessam curam et excitare feruorem eorum, qui iis sese dicarunt, non potest non manifesto admodum iudicio declarare, ipsum quasi supposuisse aut pro certo habuisse, neminem, nisi qui solertissime suis persungit officiis, ad eam, quae perfectioni debetur, metam posse deuenire. Quodsi vero quo-

A 2

rum-

IV

rumcunque demum studiorum et doctrinarum ambitum at-
tento lustrare voluerimus animo, utique haud difficulter
perspiciemus, eum tam late patere, ut, qui emetiri eun-
dem libuerit, nec possit nec debeat in via subsistere aut otio-
sum agere spectatorem. Non desunt tamen, nostris po-
tissimum temporibus, qui, nescio qua persuasione ducti, in
detestabilem illam peruererunt opinionem, doctrinas quas-
cunque litterarum, obiter tantum tractatas, tales menti
conciliare impressionem, quae obtainendis illis, quos praefixos
habent, finibus sufficiat. Etsi vero neminem futurum
esse coniicimus, qui hanc sui opinionem libere atque aper-
te vel profiteatur, vel eam se animo concepisse concedat,
bene perspiciens, ipsi naturae rei eandem aduersari, ipse
tamén studiorum, in scholis atque academiis tractandorum
rationem, id palam facere atque luculentissime testari non
dissisterat, immo iis, qui in aliorum vitas, ceu in specu-
lum intuentur, manifestum reddi confidimus. Perstrinximus
alio tempore impedimenta, quae studiorum sese opponere
solent progressui, quae in laboris fuga, deliciarum et amo-
nitatum desiderio atque desidia habentur, nunc huic scrip-
tioni accommodatum esse putamus, si in assiduitate eius-
que perseverantia solum et genuinum fundamentum utilissi-
mae cognitionis positum esse demonstrauerimus.

Hoc autem, ut rite fiat, non possumus praetermittere
eas, quae obstare videntur, conditions, tanti sane ponde-
ris, quae vacillantem reddant mentem. Ipse nimirum stu-
diorum, quem diximus, amplissimus ambitus, non parum
deterre videtur tyrones, quippe cui persequendo vix
vnu ex permultis sit idoneus, ut hallucinantur, quum
non

nōn iūs tantum incumbere debeant doctrinis, quae ad propositum sibi studiorum genus pertinent, sed alias quoque iubeantur discere, quae mentem ad recte percipienda dogmata quasi praeparent atque disponant. Linguarum non solum, tum antiquarum, tum recentiorum cognitione opus est, nec tali, quae in nuda vocabulorum explicazione consistit, sed quae internum eorundem et maxime accomodatum sensum dilucidat, sermonique elegantiam erdecus conciliat. Natura deinceps rerum in vniuersum, in philosophicis potissimum disquisitionibus, contemplanda praecepitur, quanquam ipsa sit multisaria et multas iterum subiunctas habeat doctrinarum species, quibus physica mathematicaque iungatur. His itaque subsidiis ornatum, ad colenda demum studia rite accedere posse docetur, ad illa quidem, quibus suam quisque destinauerit vitam. Superatis quoque hisce molestiis, nouas iterum subiundas esse metuant, vt, qui in altioribus, vt vocant, scientiis proficere nunc voluerit, vix inueniat tantum temporis spatium, quod omnem pene vitam absumat, non sine timore integratatis corporis pernicie. Verum non eae solum, quae religionem eiusque perspicientiam concernunt, doctrinae, et quae ad iurium accuratiorem pertinent peritiam, latissime diffunduntur, sed eae potissimum, quae a medico requiriuntur, quois, quem veteres volebant, euadat *άνθρωπος*, libertate nimirum penitioris scientiae instructissimus. Liceat vero breuiter adambrare salutaris artis ambitum, quem quidem omnem, quem percurri debeat cum sollicitudine, quod sibi difficillimum esse fingunt, vt ob immensam medicorum copiam vix talis possit videri, in limine tantum salutasse, sufficere arbitrantur haud pauci.

A 3

et

et sapientiae diuinae largissima testificatio inest corporis animalis, et ex his humani, artificioſſimae structurae, in qua peruestiganda multi anatomicorum per omnem pene vitam suam laborarunt sic, vt multa adhuc superfint, nondum ex aſſe dilucidata. Hanc nosſe et in ſui aliorumque vtilitatem conferre debet medicus, quo non eum tantum dignoscat ſtatum, quem sanitatis appellamus, ſed etiam eum, qui labefactato aut morboſo eodem diſcernendo par sit. Quodſi ergo huia doctrinae inuestigationem ſimul cum cognitione indolis remediorum coniungimus, quibus ad iuuandum hominēa opus eſt, deinde tot hominum diuersitatē singulorumque peculiarem pene naturam animo complectimur, nec singula singulis conuenire perſpicimus, augescit continuo diſquiftionis ſuſcipienda et difficultas et magnitudo, conieeturis aut ſuppositionibus utique opportunitatem non praebitura. At inter eos, qui litare huic ſcientiae ſibi ſumunt, qui, quod mala exempla ignarorum hominum, vel leui ſane doctrinae ſcientia imbutorum, vident, qui facienda medicinae ſe admouent, nec fine, vti coniiciunt, optato in tollendis malis ſuccelli, famam et aucupant et acquirunt, tramitem eius modi tritum ingredi malunt, quam ſubmittere ſeſe iugo mo- leſtiarum aegre ſuperandarum. Quos vero nequaquam ingenuos vocaueris, quam fortunae ſeſe committentes cum ignauia, pedum, quod egregium eſt, ſi placet, auxilium, agilitati magis fidunt, quam cognitioni, aliis demum inſeruitrae, cum emolumento vero ac ſtabili. Sieuti enim barba non facit philosophum, ſic utique curſitatio, in viſendis aegris frequentius reperita, et apparenſ *πολυπραγμονινη* medicum non conſtituit, niſi certis innixus fundamen‐ tis, medelam morborum ſuſcepert. Nouum autem

hic

hic nobis occurrit, ad quod confugere solent, asylum, quod, in scientiae medicae inconstantia et quasi conjecturali arte se inuenisse perhibent. Tot enim tamque copiosae hominum innumerorum varietates, vitaeque inexplicabiles diuersitates, non admittere censem, vt de singulorum morborum et effectuum natura indubitate fiat conclusio; quod ipsam quoque iudicant confirmare experientiam, qua eidem morbo, in distinctis aegris, similia opposita remedia eandem tamen aut simillimam efficaciam non exhibit, quin potius non raro medici consilium frustrantur, quam e contrario imperiti accidentis data medicina, et quidem sine omni ante deliberato consilio exhibita, morbi vires aut frangat aut eundem plane supprimat. Indeque non ea, quae commendatur, accurata et longius petita sollicitudine opus esse arbitrantur, quae laborum plenissima, non incundam sed tristem potius et abiectam vitam medici reddat, sed contemplationem morbi et effectuum, in sensus incurrentium, observationem sufficere, immo remediorum cognitorum et ab aliis laudatorum, vim hisce opponendam esse symptomatisbus, quae nisi cedant, aut mutato aliquo remedio aggreendienda esse, aut morbi grauitatem significare, quae ingulet aegrotum. Pudet sane haec dicere, ni obseruatio doceret, iudicia talia aut exaudiri, aut tacite foueri pectori ab iis, qui non audent labore adhibito ad penetralia pertingere. Ardua enim horridaque via est ad penitorem scientiae thesaurum quam deueneris, grata et amoena, quae in limine sua allicit dulcedine, qua degustata respuitur superueniens acerbitas. Hunc autem morem sequi non paucos genius sane declarat temporis, de quo nunc conqueruntur omnium pene doctrinarum fautores, qui, nisi promptius mutetur conuenientibus

VIII

ribus remediis, ita saeuire incipiet, ut domari aut epidemica
quasi labes praecaueri nequeat.
Est tamen huius euentus varia origo, quae non raro
a prima repetenda est iuuentute, quippe quae, ut solet, re-
rum, atento animo considerandarum, disquisitioni non as-
sueta, nisi ad discendi riteque percipiendi, et quantum aet-
ati conuenit, iudicandi facultatem cum voluptate ducatur, va-
gis tantum imbuitur notionibus rerum, nec stabilem indi-
piscitur cognitionem. Habeat autem docilitatem iuuenis,
facile nimirum, quae proponuntur, arripiendo arque memo-
ria retinendo, se ipsum persuasissimum reddit de accurate
intellecta veritate, quae tamen ob mollitatem partium in cere-
bro minime tenax, vaporis modo, breui intercedente tem-
pore, euanescit iterum ita quidem, ut vix vestigia cognitio-
nis supersint. Hinc, si ea non adhibeatur disciplinae ratio,
quae ideas perceptas firmet, remanet vagans titubansque
multa arripiendi consuetudo, quae, ad academiam tradu-
cta, non potest non negligenter in doctrina quacunque tra-
ctanda disquisitionis causa existere. Ex quo multi proma-
nant aequae nocentes rituli, rerum nempe non satis cogni-
tarum aut perspectarum fugax contemplatio, earumque,
ceu facile dignoscendarum, arbitrium, quod in doctrinis,
ad usum adhibendis, eximie nocet. Idem quoque iudicium
ferendum est de iis, qui, dum litteris gnauiter dant operam, in
eo tamen immunes non sunt ab errore, quod illius, quam
amplectuntur, doctrinae partes, quales omni insunt, rite
non discernunt, nec ordine debito peruestigant. Quum
enim illi, qui quallem cunque demum scientiam sectatur,
tum quae ad naturam eius pertinent discenda sunt, tum
quae eius usum, in vario vitae genere, concernunt, sponte
et invenientur patet

patet theoriam, quam vocant, ante omnia perpendam, esse; siquidem ex hac omnis scientiae demum fundamentum debeat desumi, cui deinceps superstruatur practica cognitio. Sunt quidem variae, quae saepius occurrent conditiones, quibus se commoqueri et quasi cogi adserunt ex litterarum cultoribus aliqui, quo minus diu vacare possint, quae propediem utilitatem secum non habent nec emolumenta praecocia praesent, studiis, id enim de theoreticis presumunt, quum ob rerum necessiarum penitriam aliqua momenta properandum sit in tramite percurrendo, hinc alteri potius doctrinarum generi sic audiissimi inhiant, ut vix perlustratis prioribus, toti se huic dent deditusque. Quid vero expectandum sit ab eius modi accelerato cursu luculenter confirmat experientia, in doctrinarum aequae ac artium quarumcumque exercitio. Vti vero perfecti quidquam, deficiente debita cognitione, desiderari nequit, ita nunquam perficietur, ut suae culpam luere debeat negligentiae, qui praetermissis aut intactis necessariae scientiae fundamentis, nec in usum vitae adhiberi queat, nec suae industriae quaedam reportare praemia. Etenim quis, ut exemplo utramur, in morbo corporis mitigando tollendone poterit sibi felicem promittere successum, qui corporis sani integrique notitia destitutus, quid aegrotet et quo modo non intelligit? Nonne, quod in vulgus accidere obseruamus, is phaenomenorum non nullorum, in aegro obuenientium, praesentia deceptus, falsam sibi morbi imaginem fingendo, aut minus accurata aegrotantis inscii et imperiti relatione seductus, a vera aberrabit via, quam certissime inueniendam fuisset ingressus, si ex iustae et adaequatae cognitionis thesauro depromere potuisset veras

ras diiudicandi rationes, quibus nunc carens, nec medici quidem nomen meretur, quum aegrotus non raro sanitatem, immo, quod absit, vitam, is suam certe famam perdit. Peruersus deinde doctrinarum discendarum ordō, qui a confusione non abest, sicuti magnam iis, quos primis degustare labiis tantum studiorum amoenitatem diximus, affert noxam, ita nec illis, qui cum alacritate et permanente industria sua aggrediuntur officia, unquam potest proficuus fieri. Quem quidem mōrem non parum etiam insidiosum deprehendimus, quippe qui ingenii et intellectus vires obtundat et rotunda misceat quadratis. Omnis certe doctrina continet alia facilius perspicienda, alia difficultius, haec ex prioribus dilucidantur: estque nexus doctrinarum inter se eiusmodi, vt vnius alterius peculiarem protinus illustret. Quare in discernendis rerum caussis ea ante omnia quaerenda sunt et animo inculcanda, quae vniuersam eārum naturam constituant, progrediendum post ea ad specialem contemplationē et indolem singularem. Decerptae vero ex variis doctrinis laciniæ et consarcinatae centonē faciunt: hinc tenebit, qui hac ratione instituerit disquisitionem, ex singulis aliquid, vniuersae doctrinae cognitionem attinget nunquam, nec genuinam eius normam, quid? quod ex minus ordinata eius generis rerum perspicientia veritatis etiam cognitio eum fugiet, mentem inconstanter, iudiciumque fallax reddet, Brevis autem hominis vita est, multa discenda, et, vt Hippocrates dicit, ars longa, limitibus quoque, quo in academiis versantur plerique, tempus circumscriptum, quod, vt aliqua dies sine linea peragatur, vix videtur concedere, vt ea propter omni sit studio

eo

eo respiciendum, ne particula sine usu perdatur, et ea fiat illius distributio, quae fini proposito sit maxime accommodata. Hiuc non minus, sicut ordinis, ita bene dispositi temporis obseruatione opus est. Suspicio vero in hoc momento non parum latere difficultatis, quod fugax admodum temporis cursus tam cito praeterlabitur, ut prescriptae normae seruari nequeat coordinatio. Nec inficiandum est illis, quorum humeris negotiorum aut munerum publicorum gerendorum imponitur onus, varia offerri impedimenta, quo minus suum expleant desiderium, quod studiorum impendere cupiunt amori; dubitamus tamen vehementer, eos, qui feruido agitantur discendarum doctrinarum vel artium instinctu, arceri posse a persequendo tramite, partim, quod in scholis aequa ac academus diei destinantur tempora, quibus vacare debeant discentes audiendis dogmatibus percipiendisque, partim, quod tale ramen superest spatium, quo repetendis impetrandsue, nec non vltius promouendis commode possint vti. Omnis autem eo credit ratio, vt cum sollicitudine tantum seruetur, quo secundum eum, quem necessarium esse indicauimus, ordinem cuncta peragantur. Quod eam vim habiturum esse contendimus, vt breui intercedente tempore quilibet perspiciat, quales fecerit progressus. Est enim humanae menti proprium, vt pro ea, qua superbit rerum rite percipiendarum facultate, seriem quasi idearum seruet, quam sic, iubente necessitate, repetit, per memoriam scilicet, vt, quae olim inter se iunctae fuerunt ideae, nunc simul, amicibili quasi vinculo sociatae, producantur. Quare, si cum ordine imprimuntur cerebro cognitionis fundamenta, illa vix deserent comites amicos,

quoniam denuo, si requiritur, prodire cogant, id, quod obseruatio confirmat, eos, qui diuersarum doctrinarum sunt peritissimi, de singulis earum partibus, capitibus titulisque ita exponere atque differere, ut nihil desit, quod ad rei illustrationem pertineat. Contrarium deinde facilime innoteſcit exemplo eortum, quibus in tractando quo- cunque opere id curae non fuit cordique, ut ipsis clara atque distincta rei notio cum ordine inhaereat, quos vel de rebus suis obscure exponere vel ex tricis occurrentibus sese expedire non posse, inuenimus, manifesto indicio, eam iis non inesse intelligentiam, quae ad veram requiritur cognitionem.

Etsi vero ex his satis innoteſcere putamus, in discen- dis atque perficiendis litterarum studiis requiri attentionem, qua propositae rei cuiuscunq; diligens contemplatio con- tinetur, et constantiam, qua de contuientia et discrepan- tia constat, non incongruum tamen erit, breuibus decla- rare, ab affiduitate perscrutationis maximam esse utilitatem expectandam. Sicuti enim artificis opus non uno impetu bellum atque ornatum omnibusque numeris absolutum fieri potest, sed frequentiore accidente studio politum et exasciatum p̄faſtari, sicuti ex effato poetae gutta lapidem non vi sed saepe cadendo cauat: sic etiam doctrinam quamcunq; non primae et animo vix conceptae ideae perficiunt, sed continuatum et vndiquaque accuratissime perlustratum studium. Quo ipso simul cognoscitur, qui detrectauerit hunc noua quacunque peritia gratiorem labo- rem, nec voluptatis illius participem reddi, quam mens exsatiate sentit ex hisce deliciis, neque generi humano et sibi

sibi suaeque fortunae consulere. Perseuerans autem et vix
 in perscrutando interrupta sedulitas, egregio certe mentem
 firmat robore, quod in omnibus eius dotibus manifesto
 conspicitur. Siquidem et rite percipiendi facultas, tum
 ex oblatis continuo nouis imaginibus increscit, tum ex
 promptius inherenteribus et quasi impressis, frequentiore
 nimirum repetitione, corroboratur, nec non retinendis
 iisdem aduersicit, quo in promptu sint, quae ex idoneo di-
 viteque penu, memoria iuuante, possint depromi. Quam
 suavis autem et amoena haec sit notitia rerum, nunquam
 experietur is, qui, attentione debita neglecta, nubem vim-
 brisque pro Iunone captare satagit. Si vero, quod ex
 comparatis inter se notionibus nascitur, iudicium perpen-
 dimus, quo etiam singularis illa virtus pertinet, rerum per-
 ceptarum, omni modo et studiose consideratarum, discer-
 nere indolem, factaque inter se comparatione, voluntatem
 dirigere, quid aequum iustumque et fini proposito accom-
 modatum fieri debeat, sentiet ulro, qui assiduum adhi-
 buerit soleritiam. Tunc autem singulae doctrinae ambi-
 tum emetiri non adeo, ac videatur, erit difficile, quum
 non solum laudatae mentis humanae facultates, pariter im-
 mensiae, a summo sapientissimo creatore nobis bene-
 vole concessae, mirifice crescere et ad incredibilem perfe-
 ctionis gradum deuenire, non incognita in doctrinis qui-
 buscunque, artibus et operibus humanis, exempla lucu-
 lentiissime doceant, quae imitari et assequi omni data opera
 studere multo magis ingenui est atque litteris litantis offi-
 cium. Sic eriam non aegre discutetur metus, qui multo-
 rum animos excruciat, ne ob mentis incitamat et conti-
 nentem actionem corporis negligi debeat cultus, quod

B 3

inde

XIV

inde debilitatum, ob eam, quae ipsi cum mente intercedit, amicabilem conspirationem huic pariter labem contrahat. Assiduitatem enim et contentionem ex supra dictis ita instituendam esse aequus iudicabit rerum arbiter, quae neutri hominis parti obsit, et quae, dum apta sit temporis dispensatio, necessario corporis quoque culturae detrahi quidquam non patietur, sed viam pander, qua itur, ad gloriam et felicitatem.

Hanc autem animi sui intentionem esse eorum, qui ex concessis sibi, diuina clementia opibus, alios iuuare constituunt, sicuti dubitari nequit, ita, si offici sui memor res sint, quorum felicitas per aliorum promouetur beneficia, normam inuenient vitae cum laude et grati animi testificatione ducendae, de quo vehementer lactabimur.

Memoria itaque PERILLVSTRIS DÓMINI, LIB.
BAR. DE SYLVERSTEIN ET PILNIKAV, qui literarum studiosos tam largis ornauit stipendiis, nobis et qui inde nutriuntur, sancta manebit semper. Is enim renocare annis est ad alacritatem et seruorem languentes, quo inde boni euadant et viles rei publicae ciues. Recolent etiam hanc gloriosam eius memoriaem, qui hucusque illius sustentabantur beneficiis, eiusdemque voluntatis in discendis studiis strenui sectatores, publicoque praeconio gratum animum testabuntur.

M. CAROLVS FRIDERICVS BRESCIVS

Budissa Lusatia, Theol. Cultor.

CARO-

CAROLVS AVGVSTVS GVLIELMVS GRETSCHEL
Burckauia Lusatus, Iuris Candid.

IOANNES CAROLVS HENRICVS ACKERMANN
Cizens Misn. Med. Baccal.

quorum primus de grato erga patronos animo, alter de *vtilitate*,
quam res publica ex bonarum litterarum progreſſu, in primis
ſtudii iuridici percipit, tertius de lectione librorum medicorum
et chirurgicorum, aegrotis noxia, differet.

Quare humanissimis precibus rogatos cupimus
 RECTOR EM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMI-
 TES ILLVSTRISSIMOS, PROCERES VTRIVSQUE
 REIPVBLCAE GRAVISSIMOS, atque GENEROSIS-
 SIMOS NOBILISSIMOS QVE VNIVERSITARIS NO-
 STRAE LITERARiae CIVES, velint futuro die *Martis*,
 qui est d. XVII. Aprilis, Rudolpho facer, in Audi-
 torio Medico H. IX. hancee sua praefentia, maxime hono-
 rifica, beneole decorare solennitatem et testes esse grati in
 pios manes Syluersteinianos documenti.

P. P. Dom. Quasimodogeniti A. O. R. MDCCCLXXXVII.

LIPSIAE
 EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

ULB Halle
003 335 402

3



Gl.







1787, 4

MEMORIAM ANNIVERSARIAM
PERILL VSTRIS
DOMINI
RVDOLPHI FERDINANDI
LIBERI BARONIS
DE SYLVERSTEIN ET PILNICKAV
HAEREDITARII IN KLEIN-EILA CRASCHEN DAVBER
BVCHWALDA ET BARG
DIE XVII. APRIL. A. O. R. MDCCCLXXXVII.
HORA IX.
IN AVDITORIO MEDICORVM
RECOLENDAM
INDICVNT
TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM
DECANI SENIORES ET RELIQVI ASSESSORES.